

Petri Nonii Salaciensis

inuestigare ueller, & inter alia quedam loca que in Gangeticis in sinu sunt, rectas lineas æquidistantes pro meridianis accepit, rectas etiam æquidistantes pro circulis parallelis. Triangulis itaq; rectilineis pro sphæricis usus est, quod rursus facit in magna astrorum compositione libro quinto, quum eos angulos inquirit, qui ex concursu sunt zodiaci & meridiani, atq; diuersitatem aspectus Solis & Lunæ. Nec dubitamus eundem fuisse Ptolemyum qui utrumq; opus Astronomicum et Geographicum composuit, cum in secundo libro magnæ compositionis Geographicam à se editam commemoret, rursus uero in octavo Geographia et ipsum opus Astronomicum, in utroque autem opere sub eadem ferè ponitur quantitate maxima Solis ab æquinoctiali circulo declinatio. Atut constare possit quo'nam modo & quibus in locis, rectis lineis pro circulis sit utendum, unum sequemur exemplum primi libri. Nauigationem à Corura in Paluras usq; (ex traditione Marinai) ad ortum hibernalem esse stadiorum 9450. à quibus propter cursus inæqualitatem tertiam partem adimit, stadia nempe 3150. & relinquuntur 6300. pro directa distantia. Horum uero sextum auferit, & relinquuntur idcirco stadia 5250. idest gradus 10. Sc. 30. pro distantia meridianorum eorundem locorum. Esto enim Corura a, Palura b, meridianus per a, sit a c, parallelus per b, sit b c, distantia intera, & b, cum nauigationis inæqualitate stadiorum sit 9450. detracto autem uno tertio, erit arcus a b, stadiorum 6300. directum nempe interuallum intera, & b; arcus uero a c, differentialatitudinis erit eorundem locorum, at b c, longitudinis differentia in circulo parallelo æquinoctiali, angulus igitur qui ad c, rectus erit, sed qui sub b a c, acutus sitū demonstrat loci b, respectu a. Et quoniam supponit Paluras distare a Corura ad exortū hibernum, unde Eurus spirat: diuisio igitur australi orientaliq; quadrante in tres æquales partes pro antiqua uentorum distinctione, ipse positionis angulus b a c, duas earum comprehendet. Quapropter si prosphærico triangulo rectilineū sumamus a b c, reliquus acutus angulus c b a, tertia pars erit unius recti, ipsa uero a b, recta linea trianguli a b d, æquilateri latus erit, & recta a c, eius dimidium, b c, cathecus. Quadratum itaq; ex a b, ad quadratum ex b c, sesquitertiam habebit rationem. Et quoniam quadratorum ratio dupla est quam laterum, ratio igitur a b, ad b c, erit ferè sesquiuncta, ut si a b, partium etiam sex subiiciatur, eius quadratum erit 36. quadratum igitur ex b c, erit 27. cuius latus aliquanto maius erit quam quinq;, crassiore itaq; computo eam Ptolemaeus supponit quinq;, ut ratio a b, ad b c, sit

